

Heinrich Rahn

Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Rahne I.U.D. & Prof. Ad Exequias Quas Iuveni ... Friderico Zinzerlingio, paratas cupit M. Bernhardus Taddelius pie defuncti affinis, suo & absentis Fratris nomine. Omnes & singulos Academiae Cives officiose & amice invitat

Rostochii: Kilius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777131757>

Druck Freier  Zugang



PROGRAMMA 52.

Quo

RECTOR

Universitatis Rostochiensis

HENRICVS RAHNE

J. U. D. & Prof.

Ad Exequias

Quas

fuveni probo & Eleganti ingenio

FRIDERICO
ZINZERLINGIO,

paratas cupit

M. BERNHARDUS TADDELIUS

pie defuncti affinis, suo & absentis

Fratris nomine.

*Omnes & singulos Academia Civis officiose
& amice invitat.*



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr. 1651.

LB FP Zinzerling, Friedrich 1651

FRIDERICUS

FRIDERICUS
HENRIQUEZ

FRIDERICUS
ZINZELINGIO


M. BERNHARDUS

OMNIBUS



ROSTOCKII

FRIDERICUS



Ccusari plerumq; & tantum non quotidianis conviciis pulsari mors solet, quod calcet omnia & subigat, quodq; nulla diligentia eam evitet, nulla felicitas domet, nulla potentia vincat. Eò deniq; opinionis procedunt mortales, ut quod vis etiam mortis genus incusent. Moritur aliquis in peregrinatione? cum gemitu hæc afferunt:

δύσμορος, ἐδ' ἄρα τῷ γε πατὴρ καὶ
πάντα μήτηρ

Ὅσοι καθιέρησαν

*Ab miser, haud illi genitor, venerandaq; mater
Compressere oculos.*

Moritur in patria, & apud parentes? lamentantur, quod è manibus abreptus, nihil præter sui luctum iis reliquerit. Moritur silens, neq; ulla de re mandavit quicquam? inter plorandum proferunt ista:

ἐδὲ τί μοι εἶπες πυκινὸν ἔπος ἐπεὶ κεν αἰὲν
Μεμνήμην.

— neq; te supremâ voce monentem —

Audivi, semper quæ condita mente tenebam.

Si collocutus excessum fuit? extremam eam voce

em veluti alimentum doloris semper habent in
promptu. Tollitur citâ morte? deplorantes di-
cunt eum esse abreptum. Lentâ? quiritantur.
excarnificatum contabuisset. Cum primis autem
accusari mors solet, quando nec imbellis parcat
juventæ poplitibus. Et sane Pericles maximus
ille orator atq; optimus Civis, cum laudaret in
funebri oratione eos, qui pro patria ceciderant,
si juvenus è civitate ablata sit, perinde esse di-
xit, ac si verex anno auferretur: quod ut ver an-
ni maxima & pulcherrima pars est, ita in civita-
te, multis ex partibus quæ constat, juvenus
max. & elegantissima illarum omnium sit ha-
benda. Nisi enim juvenus quasi in procinctu
stet, quis decedentibus de statione senibus suc-
cedat, & labentem atq; inclinatam reipub. aciem
restituatur? Utinam verò non servasset ingenium
mors suum, equidem nec nobis imponeretur.
hujus descriptionis necessitas: at quando id, quod
semel Deo visum placitumq; est, mutare non li-
cet, dabimus operam ut Optimi Juvenis memo-
riam habeamus comiter, & cumulatè ei præste-
mus, quæ supremi honoris causâ in piè mor-
tuos conferri solent. Ad quod officium prius-
quam vos invitemus & adhortemur, Cives Aca-
demici, paucis de vita ejus explicandum nobis
est;

est: relaturis videlicet; quæ Affinis ejus vir clarissimus atq; excellentissimus Dn. M. BERNHARDUS TADDELIUS, Græc. Lit. Profess. celeberrimus, Collega noster honorandus in chartis ipse consignavit. FRIDERICUS ZINZERLINGIUS, p. m. natus est Gustroviæ Anno 1629. m. Majo, Vix bimulus, utroq; Parente orbatus, mori cepit. Mater enim, VI. Febr. Pater vero XI. Martij, anno eodem nempe 1632. animam Deo, verà in Christum fide, reddiderunt. Venerandæ memoriæ Dn. BERNHARDUS CLINGE, magni nominis & de Patria bene meritus Consul, hunc, cum Fratre natu majore JOANNE BERNHARDO, & Sorore unicâ ELISABETA, TUTOR suscepit, atq; de necessariis eidem prospexit. Patrem habuit piè defunctus Virum Apl. & Consult. Dn. JUSTUM ZINZERLINGIUM, Jctum & Philologû insignem, Dicasterij Megapolitani Adsefforem meritissimum, hominem probum atq; syncerum, qui, ut ipse erat ἐμφυχὸν βιβλιοθήκη καὶ περιπατῶν μουσείον h. e. viva bibliotheca & obambulans museum, tot musea, in hoc nostro Roseto hodiernum conspicua in altum eduxit, ut, quo cunq; se verteret, STUDIO-SOS haberet à latere, eorumq; , quam maximè posset, commodis inserviret. Hunc in finem sibi

instruētissimam illam Bibliothecam comparaverat, eamq; Minervæ aram extruxerat. Mors autem omnia interturbavit. Nunc ejus anima in benedictione. Avus Paternus illi fuit M. MICHAEL ZINZERLINGIUS, Ecclesiæ Eschenbergensis, primò ad triennium, deinde Tunge-danæ in quadagesimum usq; tertium annum, Pastor fidelis. Proavus Dn M. JOHANNES ZINZERLINGIUS, Wangenheimensis Ecclesiæ Pastor, totiusq; illius Diœceseos Superintendens, ab ipso, beatissimæ recordationis Megalandro Dn. D. MARTINO LUTHERO & Bugenhagio, ad munus ecclesiasticum introductus. Aviam Paternam habuit JUSTINAM, Excellentissimi illius JUSTI LUDOVICI BRYSMANNI, Polyhistoris & Græcarû Litterarû Oratoriæq; facultatis, in illustri Salanâ Professoris celeberrimi filiam. Mater ejus fuit AGNETA HANEN, matronarum virtutum *μουσῶν*, animi, corporis & fortunæ bonis abundè dotata fœmina. Hæc præclara erat progenies, Politissimi viri Dn. BERNHARDI HANEN & ELISABETHÆ CLINGII, magni illius Jcti Dn. BARTHOLOMÆI CLINGII, Politicorum Phœnicis, Consiliarii Megapolitani fidelissimi, hujus nostræ Academiæ ultra quinquaginta annos Professoris

ris meritissimi, & *MAGARITÆ KRONIÆ*,
fœminei sexus eximiæ coronæ, filiæ. Morbus &
mors piè defuncto fuit alvi obstructio, cui reme-
dium inveniri non potuit, quamvis adhibitum
fuerit, quidquid pro loci ratione, ad manus esse
potuit. Vitam cum morte, seu potius mortem
suam cum vitâ commutavit inter preces & suspi-
ria adstantium, præsentè Viro Reverendo & Cla-
rissimo Dn. JOANNE Sparward/ Sterneb. Ec-
clesiæ Pastore fidelissimo, cujus in brachiis piè &
placidè expiravit Sterneb. XIII. Junii huj^o anni.
Charus fuit omnibus inibi locorum, laudant pro-
bitatē consortes, verbi ministri auditorē sedulū.
Abiit itaq;, sed reverti debet. Non quidem ut has
miserias humanæ vitæ repetat (quod longè esset
miserrimum) sed ut mutatus in longè excellen-
torem ac meliorem habitum, qui nullo casu aut
morbo pereat, in æterna gaudia transmittatur.
Quæ ejus beata anima jam tum persentiscit ac
fruitur.

Nostri autem officii est, Cives Academici, re-
liquias ejus negligere minimè, & funeri, fre-
quenter interesse. Quod ut prolixè velitis exe-
qui, summopere vos adhortamur. Debetis omni-
nò hoc genus officii beatissimis Manibus magni
illius Jcti & Philologi ZINZERLINGII, viri
de

de Academia nostra & universâ re literaria Opti-
mè meriti: debetis cæterum & Viro Clarissimo
Dn. M. TADDELIO Collegæ nostro honoran-
do. Ita igitur facite: facturi hac in parte, quod
magnam humanitatis meretur laudem. B. V.
P.P. Rostochi d. IV. Jul. anno recuperatæ
gratiæ clc lcc LI.

*Conventus fiet in templo Mariano
ad horam primam.*



